

Ehregott Daniel Colberg Heinrich P. Roggenbau

Eudiakrisis Philosophica Exhibens Tres Vias Cognoscendi Deum Et Divina Physicam, Metaphysicam Et Hyperphysicam

Rostochii: Literis Richelianis, 1682

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730610292>

Druck Freier  Zugang



Ru mic 7682

BY ΔΙΑΚΡΙΣΙΣ PHILOSOPHICA

Exhibens

TRES VIAS COGNOSCEN-
DI DEUM ET DIVINA
PHYSICAM, META-
PHYSICAM ET
HYPERPHYSICAM,

Quam

Adjuvante Deo, & consentiente Am-
plissimâ Facultate Philosophica
IN AUDITORIO MAJORI

publicè proponunt

PRÆSES

M. Ehre-Gott DANIEL COLBERG,
Colberg. Pomer.

& RESPONDENS

HENRICUS P. Roggenbau/

Friedl. Mecklenb.

d. 8. April. An. M. DC. LXXXII.
horis Matutinis.



ROSTOCHII

Lîteris RICHELIANIS, Sen, Typ.

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM

PHYSICAM METAPHYSICAM



Riplicem viam cognoscendi Deum
& Divina propositurus, ne Homo-
nymia fallere videar, vocabula ex-
plicanda erunt. Scholastici quidem
& hodie Pnevmatici tres illos proban-
di Deum modos, *Eminentie vel perfectio-
nis, Negationis & Causalitatis*, iis indi-
gitare solent. Quos ad alteram Viam,
qua ex Probabilibus, & præsupsis, sed
postea sepositis, scripturâ argumentatur,
revocandos existimo. Nam Via Eminentie apodicticè nihil de-
monstrat. Si quis crederet dari Ens nobilissimum, non cre-
deret propterea Deum esse: Si quis enim crederet nihil rerum
esse præter corporeum hunc mundum, is credere deberet ho-
minem esse Deum, si Ens nobilissimum esset Deus, dicente *Bur-
gers diuio Insit. Met. l. 2. c. 4. th. 4.* Qui ex perfectionibus in ho-
mine aut aliis substantiis animadversis Dei conceptum format,
idem facit, ac si ex perfectionibus acari Elephantis ideam ge-
nuinam se habere contenderet, conf. *Gassend. contra Cartes. T.*
3. Op. Incertum est, quid in omnibus rebus verè sit optimum
& perfectum, Quod in uno est perfectum, in altero tale po-
test non esse. Vita, quam Animalis perfectionem æstimamus,
substantiis ingenerabilibus, cœlo, soli, stellis, non competit.
Sed & contrariæ rebus sæpe insunt perfectiones, levis est ignis,
gravis terra, mutantur generabilia, ingenerabilia permanent.
Qvis Deû verò diceret ens grave & leve, mutabile & immutabile?
quæ Deo tribuuntur perfectiones, reliquis Entibus non compe-
tunt. Informata tamen Deû esse omnipotentem, Justû, Creato-
rem & Conservatorem omnium &c. ex Revelatione divina
Ratio, ac præterea doctrinam Scholasticorum de Abstractione
præsupsponens, statuit demum quasdam harum perfectionum,
quas etiam aliquo modo in creaturis deprehendit, Deo tri-
buendas

buendas formaliter, quia in abstracta sua Natura nullam inferunt imperfectionem, quasdam eminenter, quæ in abstracta natura aliquam implicant imperfectionem, ac commercium cum Materia. *Negativa via* magis ad ignorantiam nos deducit, & quid Deus non sit, quam quid sit, docet. Quæ autem de re positiva demonstrantur, sunt positiva. In quantum verò *Negativa hæc Theologia* Deum verum, ejusq; attributa *Negativa, infinitatem, immutabilitatem &c.* ex scriptura novit, licet eâ notitiâ revelatâ se iterum exuisse arbitretur, & humana curiositati, ne quid, præter quod revelatum, Deo tribuat, metas figit, dialecticè hæc probat, sed consequenter. *Causæ licitæ via*, si de causa motus sermo sit, magis scientifica est, l. 8. *Physic. c. 5. & l. 2. Met. c. 2.* Si verò de *Causa Productionis per Creationem* intelligatur, sequitur lumen revelatum, atq; omnia ex nihilo facta esse, quod *Rationi sibi relicte impervium* l. 1. de celo c. 3. l. 1. *Physic. c. 6. & 7.* præsupponit.

1. Quando igitur tres vias cognoscendi Deum & Divina nomino, intelligo *Viam. 1. Physicam h, e. Demonstrativam Aristotelicam naturalem, ex inductione & ratione scientiam producentem, s. à priori illa sit, s. à posteriori.* Φυσικῶς enim aliquid considerare denotat pertractare ἐκ τῶν ἀρχῶν, vel ex principiis propriis. *Arist. l. 3. Physic. c. 7.* duplicis considerationis facit mentionem, unius quæ agit λογικῶς, ex communibus, & alterius quæ Φυσικῶς, quam vocem Philoponus per ἀνδεικτικῶς, demonstrativè exponit. conf. l. 8. *Physic. c. 8.* Sicq; via *Physica* nihil aliud notat, quam *Demonstrationem*, quæ alias genus probandi *Acroamaticum* vocari solet & *Analyticum* l. 1. *Post. c. 32. & λογικῶς φιλοσοφίαν* l. 1. *Eth. ad Eud. c. 8.* quando quis ex *Principiis Naturalibus* per inductionem & *Experientiam* aliquid apodicticè probat. 2. *Metaphysicam*, quæ priori contradistinguitur, quia ex principiis tantum probabilibus opinionem, non certitudinem generat. Huic viæ insistentes Philosopho dicuntur aliquid probare ἐκ τῶν λογικῶν, διαλεκτικῶς l. 1. *Top. c. 14.* vel etiam quæ voce sæpe utitur, ἐξοπτικῶς l. 6. *Eth. c. 4. l. 2.*
Eud. c.

*Lud. c. 1. pervagatè, non secundum arbitrium, sed opinio-
nem vulgi. Metaphysicam autem viam appellare placet,
quoniam Metaphysicus (non qui Aristotelis sapientiam pri-
mam, sed Scholasticorum sic dictam, Metaphysicam tractat)
personatus Topicus dicitur *Kronmajoro Polymath Part. 2. c. 18.* ut qui
sua non nisi probabiliter tradit. Hæc licet Topica tantum sit,
non tamen nudè naturalis est, sed præsupponere solet lumen
Relevationis, estq; tum Platonis, cum Physica conjungentis
præcedentem traditionem Ecclesiæ Judaicæ: tum Scholasti-
corum, addentium historicam cognitionem Scripturæ, & Pnev-
maticorum superaddentium lucem revelationis præsupposi-
tam. 3. Hyperphysicam, quæ est ipsa divina Revelatio / Verbum Dei
scriptum, testimonio Sp. S. divino fidem divinam, infallibilemque
certitudinem gignens. Prima mere Philosophica est, ex Phi-
losophicis Principiis concludens. Secunda Philosophiam
cum Theologia, Rationem cum revelatione miscet, & quæ ex
hujus doctrina hausit, illius Principiis postea probare audet,
genuina filia Theologiæ illius Scholasticæ, quam pestem Gram-
maticæ & Theologiæ *Joh. Aventinus* ipse Pontificius vocare non
dubitavit. conf. *Dn. D. Calov. T. 12. Syst. p. 318. seqq.* & *B. D. Hul-
semann. Præfat. libr. de Auxil. Grat.* Tertia merè Theologica
est, & in præsentī Dissertatione, quæ Philosophiæ Cancellus
non prætergreditur, haud explicatur, sed ad Theologicum
forum remittitur.*

3. Diversorum principiorum Existentiæ primum diversas vias
probat. Revelatio Hyperphysicam constituit viam, reliquas
Ratio, non tamen sine discrimine. Initio quidem consideran-
da est Ratio *Physicè*, quam *Dn. D. Calovius* in Concreto in *Theol.*
Rev. & Nat. p. 205. D. Musæus cont. Vedel. 1 3. c. 4. S. 35. Con-
cretivè ratione subjeçti, *B. Meisnerus Phil. sobr. Qu. Met. 3.* In
statu hujus vitæ, & cum *B. Lic. Rhaw. in Diss. de Phil. propria limi-
tibus circumscripta* ratione Existentiæ, & hic *Postremus* etiam
quasi *Ethicè* vocat. Et est facultas intelligendi & deliberandi
in homine peccatis depravato, in praxi & applicatione pro-
rumpens. Nam licet Ratio Philosophicè considerata recta
sit & sana, conf. *Dn. Calov. Diss. Cont. Curcellæum th. 2. quæ op-
ptimum*

ptimum sibi finem habet propositum, de commodis mediis
deliberat & omnes circumstantias perspicit; Theologicè ta-
men spectata corrupta est & depravata, non à Deo, sed Diabolo.
vid. Menzer. T. 7. Diss. Giess. Diss. 3. th. 72. Hoc modo consi-
deratur in opibus suis, quas suo pte ingenio, suis usa Principiis,
sensuū organis, & quæ ex memoria oritur Experientiæ l. 1. Pri-
or. c. 30. & Inductioni l. 2. Prior. c. 23. & ab intellectu genitis
demonstrationibus, innixis, acquisita habet. Sic est soluta,
sibi relicta, sine freno. Sic est in homine & Philosopho, qua
Philosophus, Schröderus Tract. de Princ. Theol. p. 184. Quando
igitur hoc modo spectatur Ratio, gignit viam Physicam, quæ so-
lâ nititur Naturâ, prouti καὶ ὑπαρξίῳ, in hominibus post la-
psum, præscisâ, ignotâ, vel etiam non attentâ, remotâ, scri-
ptura existit.

4. Deinde Metaphysicè consideratur Ratio, idq; duplici-
ter. Uno modo idem notat quod ratio in Adamo ante lapsum
eademq; post lapsum, ratione Essentiæ & ἁπλοῦς, ut est per se, in
abstracto, suaq; perfectione, & in idea, quat. ab Accidentibus
ἀξίῳ, ἀνομιῶν abstrahit s. in gentili inveniatur s. in Christia-
no. Pouchenius Diss. de Philos. Univ. Ver. th. 3. Menzer. d. l. th. 35.
seqq. quam Theologiæ non contradicere Philosophi pariter ac
Theologi disputant. conf. Græver de Simpl. & Univ. Verit. Alte-
ro modo Ratio Metaphysicè spectata non incommodè de ea di-
citur, quæ intra orbem verbi cõclusa, & castigata, refrenata, sub
obsequiū restricta, captivata Schrödero de Princ. Theol. p. 185. limi-
tata, castigata, illustrata, confirmata, Menzero T. 3. Diss. Giess.
3. th. 83. aliis aliter audit. Hæc postquam verbi divini luce
collustrata est, eidem fidem adhibet, unde & Regenitæ & Re-
generatæ nomine venit, ex consequenti probabiliter quædam,
non tamen ex Principiis naturalibus, docente Museo Contr. vedel.
l. 1. c. 14 p. 132 seq. in quorū notitiâ Aristotelis i. e. hominis sibi relicti
ratio cœca, obtenebrata, fœculenta, ut Schröderus iterū loquitur
p. 185. & 205, penetrare nequit, concludit, hominiq; Christiano
ex scriptura informato, eidemq; fidem habenti, à quâ se tamen
quoad Philosophiam liberasse putat, persuadet. Quan-
quam verò Ratio ita se habens Christianis sit propria, aliqua-
liter

liter tamen *Gentili Platoni* tribuenda, quatenus quæ ipse ex traditione Judæorū & Ægyptiorum, adeoque ex Revelatione hausit, Metaphysicè sequentibus eam argumentis *irrdōctis* probare studet. Quod enim quæ de divinis & miraculis habet Plato, conf. *Eugub. de Perenni Phil. Mornæus. de Verit. Rel. Christ.* non ex humana Philosophia, sed ex Mose & monumentis ejus possideat, docet *Clem. Alex. in Protrept. & libris Strom. & Eusebius l. 2: Præp. c. 13.* Disertè asserunt *Cyri. Alex l. 1. & 2. cont. Jul. & Justinus Martyr. in Exhortat. ad Gent. & Apol. 2. pro Christ.* Platonem ex sacris voluminibus in Ægypto cognitionem quandam legis divinæ librorumq; Salomonis & Prophetarum hausisse. Quibus consentit *Ambrosius l. de Bono mortis* ajens; Platonem suos libros & Jovis hortos ex Salomonis Canticis accepisse. Contradicunt quidem *August. l. 8. de Civ. Dei. c. 1. & Lactantius l. 4. c. 2.* Platonemq; ad Judæos nunquam accessisse statuunt, prætendentes nondum fas fuisse alienigenis hominibus Religionem, Justitiãq; cognoscere; sed non evertunt fidem Historiæ tot scriptoribus assertã, contrariũ vel sola versio LXX. interpr. curante Ptolom, Philadelpho 279. juxta Clüverũ, secundum Micralium 282. annis antè natum Christum facta evincit. Cui accedit, quod *Eusebius l. 9 Præp. Evang. c. 3. & Cl. Alex. l. 1. Strom.* scribunt, Mosaica volumina jam ante Alex. M. imò ante Persarum Imperium in Græcum idioma traducta fuisse. Prætereo *Aristobuli Judæi l. 1. ad Philometora.* illud: *Legem nostram in multis Plato secutus est, apertè namq; in multis diligenter examinasse singulari videtur.* Et *Numenii Apomenfis Syri Ph. los. Pythag.*, hoc: *Quid est Plato nisi Moses actuè loquens?* Recentente hoc *Suida*, illud *Eusebio.* conf. etiam *Possevinus l. 3. Biblioth. c. 16.* Adjunxit igitur Plato quædam ex suis, & quæ ex Revelatione cognoverat, rationibus, etiã tantum probabilibus, probare præsumpsit. De *Scholasticis*, ut & *Pneumaticis*, aliisq; Philosophis, res manifestior est, supponunt enim semper scripturam, aut ad minimum conclusiones ex scriptura fluentes. Nec dissententur illud ipsi, dum se *Philosophos Christianos* h. e. qui fidem verbo habent, vocant, & scripturam, licet non ut Normam, saltem

tanquam Medium Expedientiæ adhibendam censent. vid. *Crellii*
Disp. An & Quat. Phys. script. allegare possit. Ex hac itaq; Ratio-
ne illuminata, quam etiam non male cum Pouchenio rectifica-
tam dixeris, quatenus rectæ, quæ alias Theologicè perversa
audit, contradistinguitur, oritur *Via Metaphysica*, ex præsuppo-
sito verbo divino, sed seposito, Metaphysicè vel topicè in-
ferens.

5. Quæ restat *Hyperphysica Via*, eam nemo, nisi eo ipso
Christianæ fidei Principium, Revelationem, tollere velit, in
dubium vocabit, quod facere *Autor Tractatus Philosophico-Theo-*
logici, quem Spinosam Judæum esse referunt, non erubuit, dum
Revelationem nihil aliud dicit esse, quam imaginationem cor-
poream ex præconceptis opinionibus, eoq; nomine refutatur
à Theologis Dn. D. Kortholt *Tract. de Tribus Impostoribus hujus se-*
culi Dn. D. Osiandro *Theol. Acroam. Exerc. 2. th. 19. seqq. p. 23. seqq.*
Franc. Cupero in Arcan. Atheismi Revel. & Refut. quem librum pri-
ori opposuit.

6. Adhæc si modos probandi diversos respiciamus, diversitas
vix Physicæ, Metaphysicæ & Hyperphysicæ satis perspecta erit. Alia
probatio est *Analytica & Demonstrativa*, quæ quoad primari-
um significatum, Demonstrationem dicitur, est *Syllogismus con-*
stans ex veris, primis aut immediatis, notioribus, prioribus & Causis
Conclusionis. l. 1. *Post. Anal. c. 2.* Cum quatuor dentur *Quæstio-*
nes scientificæ, An sit, quid sit, quod sit & cur sit, juxta l. 2. Post.
c. 1. de singulis specatim agendum, an & quomodo demon-
strari possint. *Quæstio* *est* etiam per sensus & inductio-
nem innotescat, demonstratur dupliciter, tum à priori, cum ea
cognoscitur ex forma sua seu essentia quæ Definitione explica-
tur, aut etiam ex propriis operationibus immediatè ex essentia
fluentibus. Quæ ratione ex sono quem in nubibus audimus to-
nitru & ex propriis operationibus canem agnoscimus: tum
à posteriori, quando res aliqua ex proprietatibus suis, quæ
sunt in secundo *τῶν κατὰ αὐτὸν* modo innotescit, veluti ex pro-
priis effectis. *Quid sit* non demonstratur, sed tantum per di-
visiones & inductiones investigatur. Sive igitur quis eam per
aliam

aliam Definitionem, aut Divisionem, aut per Definitionis De-
 finitionem, aut per Contrarii Definitionem probare conten-
 det, semper id petet quod *ἐν ἀρχῇ*. Nam alia illa Definitio
 quoniam nominibus à probanda Definitione differret, in-
 tellectu tamen & significatione idem diceret. In Divisione su-
 mitur id quod æque ignotum est, ac id quod queritur. Defi-
 nitionis Definitionem alicui applicare, est id Definitionem
 vocare. Qui tandem Definitionem adductam negat, ille quo-
 que tacite negat contrariam Orationem esse Contrarii Defi-
 nitionem. Quæ autem per proprietates est cognitio, pro-
 bat quidem rem esse, nõ autem esse quidditatem. *Questionem quod
 sit* manifestã reddit Demonstratio *ὄλη*, docente Philosopho *l. 1.
 Post. c. 13.* partim quando ex immediatis quidem sit Demonstratio,
 sed per Effectum proximum: partim, quando ex negatione
 prædicati rectè negatur subiectum de aliquo, ita tamen ut af-
 firmatio Prædicati non sit Causa cur affirmetur subiectum.
 Quæ superest *questio cur sit* sibi vindicat Demonstrationem
ὄλη ante descriptam, & hinc est, quod *ἀπλῶς* & principaliter
 Demonstratio vocetur, ut pote quæ concludit ex propositioni-
 bus *veris*, cum ex falsis nil nisi falsũ sequatur, *immediatis* h. e. inde-
 monstrabilibus Axiomatibus, Definitionibus, Hypothesibus,
prioribus & *notioribus* nobis & natura, *Causis conclusionis*, quia
 scire est rem per causam cognoscere, idque ex necessitate se-
 cundum gradus *ἅπαντες* de omni & semper, *καθ' αὐτὸ* vel
 per se, ita ut vel prædicatum pertineat ad Definitionem sub-
 iecti, vel subiectum ad Definitionem Prædicati, vel Accidens
 in Concreto de substantia, maximè singulari, secundum Wi-
 chelm th. 34. secundum alios existentia de substantia dicatur, vel
 quando proprius effectus coniungitur cum proxima Causa
 Efficiente aut Finali; *καθόλου πρῶτον*, de omni, per se & quæ
 ipsum est. *l. 1. Post. c. 4.* conf. *Zeidl. Anal. part. 1. & 2.* & *Wichelm.
 de Demonstrat. th. 9. seqq.* Sed num secundum præscriptam
*Demonstrandam Methodum quedam Divina probantur? Quæ Ari-
 stoteles cognovit huius, ope cognita habet. Primum est u-
 trum datur Deus? quia verò Deus est purè simplicissimum Eus,*
 hinc

hinc à priori cognosci nequit, à posteriori tamen *per motum* probatur. Omne enim quod movetur ab alio movetur, hoc rursus ab alio, donec ad primum aliquod movens perveniatur, quoniam nō datur progressus in infinitum, quod cum alia moveat, ipsum tamen immobile manet. Et hoc est primum movens immobile, quod Deum appellamus. vid. *l. 2. Phys. c. 1. § 1. 8. c. 4* Tò si ès non demonstratur ut ante dictum, sed nec in Deum cadit. Est enim Deus substantia immobilis & sic indivisibilis. Si autem esset definiendus, haberet partes, quarum una se habet ut materia, altera ut forma. *l. 8. Met. c. 15. l. 7. 2. 33.* Quod autem & quare Deus sit prima causa Efficiens, prima Forma, primus finis, Actus, incorporeus, & quæ alia ex naturali lumine innotescunt, proprie sic dicta Demonstratione non cognoscuntur, admittunt tamen *Demonstrationem secundum Analogiam*. Utitur Philosophus in sapientia prima in investigando summo Ente *Methodo Analytica vel Resolutoria*. Postquam prioribus libris prima Axiomata, hypotheses, Definitiones tradidisset, Distinctionem Entis in Ens per se & per Accidens reassumit, hocq; tanquam cujus nulla scientia, à translatione Metaphysices removet. Cum autem Ens per se decem dicatur modis juxta Decem prædicandi genera, & horum alia sint respectiva, ut Relatio, Actio &c. alia absoluta, ut quid, quantum, quale, priora ad posteriora reducit, & hæc iterum ad substantiam, quæ reliquis Natura, Definitione, & tempore prior est, revocat. Ex substantiis alia est compositum, alia Materia, alia tandem quidditas seu forma, in hanc reliquas resolvit, quandoquidem ab ea reliquæ illud habeant, ut Materia quidem fiat, forma autem sit & dicatur aliquid. Postquam demum quidditatem unam reduxisset ad aliam, ad primam pervenit, quæ prima forma est, & quidditas reliquorum *l. 6. & 7. Met. Ita l. 8. Met.* Ens dicitur esse Actu vel potentiâ. Potentiam ad Actum seu Naturâ, tempore ac Dignitate priorem reducit. Inter Actus autem primum & perfectissimum dicit eum, qui nihil potentiæ admixtum habet & nudâ apprehensione cognoscitur. Hac Methodo in aliis quoque procedit, donec

donec primæ substantiæ immobilis notitiam acquisivit. In hac itaq; Analyfi quædam inductione, ex nobis notioribus declaranda, quædam *per demonstrationem ex notioribus naturâ* confirmanda occurrunt. Posterioris generis sunt, quando substantia reliquis Categoriis naturâ prior esse probatur, eo quod reliquarum nulla sit separabilis, substantia autem remotis ceteris esse possit; aut definitione prior esse statuminatur, quia Accidentis Definitione ingreditur, quod contrario modo non contingit. Eode modo Actus ostenditur prior esse potentia, cum sit finis potentia. conf. *l. 7. Met. c. 1. 1. 9. c. 8.* Adhuc alia *Demonstratio*, nempe ea quæ *ad incommodum ducit*, in divinis locis invenit. Quæ ratione Deum incorporeum esse probatur ea de causa, quod alias Deus compositus esset ex Materia, adeoq; non simplex, nec principium esset, quod absurdum. Ex his aliisq; manifestum est, quædam de Deo divina demonstrari posse, idque ex Principiis Rationis sibi relicta, quod *Physicam Viam* cognoscendi Deum & divina constituit. Nec demonstrare improprie & abusive hoc loco pro Dialectica probatione accipitur, quæ ratione in Disputationibus fieri solet, & *Jac. Martini de princ. Fid. p. 592.* Scholasticos Existentiæ Dei Argumento Logico, Metaphysico & Physico demonstrare velle asserit; sed propriè & accurate, prouti generi probandi Dialectico contradistinguitur, de sola via Physica est intelligendum.

7. Quoniam autem pauca sunt quæ demonstrativè probari possunt, datur aliud probandi genus, quod *Dialecticum*, *Probabile* & *Exotericum* vocari ante dixi. *Esdo* hæc sunt ea, quæ vera videntur aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus, atque his vel omnibus, aut maximè illustribus ac sapientioribus. *l. 1. Top. c. 1.* Suntq; ex parte Problemata, ex parte propositiones; licet enim hæc inter se conveniant, & *Ἐπιμα*s, quæstionem notent, differunt tamen in eo, quod *περίβλημα*s de quæstione dicatur utramq; Contradictionis partem interrogâre, cum *περίφαν*s unam tantum Contradictionis partem interroget, Quatuor Problematum genera constituit Aristoteles *l. 1. Top. c. 3. & 4.* Generis, Definitionis, proprii & Accidentis, Vocantur alio nomine Problemata

B

mat

mata Topica, ὅτι τὸ πᾶν, 'quod Platoni fides argumenti est, Aristoteli verò tum index Effatorum, quem *παράγωγα* vocat, tum *ἐπιχέριμα* i. e. effatum, quod sub ipsis indicibus continetur. Quæ effata latini solent vocare Maximas (Canonnes, Regulas) notante *Piccarto Synopsis. Organ. p. 202.* Prouti vero genus hocce argumentandi vocatur Topicum, ita nihil impedit, quin & *Metaphysicum* vocari possit, quandoquidem hodierni Metaphysici Pronunciata Topica ex Dialectica Metaphysicæ suæ inferant, & hanc in illam ferè transformant. Cum igitur Scholastici, & qui ex Christianis eos sequuntur Metaphysici & Pnevmatici, plurima de Deo ac divinis, quorum cognitionem ex scriptura primitus hauserunt, cum alias Rationi sibi relicta impervestigabilia essent, postliminio, secundo, habitâ fide scripturæ dialecticè perscrutentur, idque non Gentilibus, sed iis qui in Christiana Religione sunt informati, *Via Metaphysica* incedunt. Et hinc est, quod *Keslernus* tale constituat Theorema: *Quæ sunt mere Revelationis, possunt Philosophicè rationibus, sed tantum probabilibus adstrui. Logic. Phot. p. 26. ex Jac. Martini l. 2. Exerc. Met. Exer. 2. theor. 7.*

8. Argumenta quæ in *Via Metaphysicâ à Scholasticis, præsuppositâ scripturæ fide, adscriberi solent*, varia quidem sunt, ad certas tamen Classes revocari possunt, quas indagare operæ pretium erit. Desumuntur ergo 1. à *Principiis nobiscum natis.* Hoc modo Existentiæ Dei probatur. Ita etiam *Connimbricensis* apud *Gerhard. T. 8. Loc. Com. p. 245.* animæ immortalitatem probant, quod homines malè sibi propter scelera conscii, metu torqueantur, qui frustra esset, animâ post mortem non superstite. Homo Christianus ex verbo Dei Rom. I. 19. II. 14. informatus dari innatas notitias, ejusmodi Argumenta non debet in dubium vocare, conf. *David. Rungii Disp. in c. 1. Rom. p. 4.* ille verò, qui scripturam ignorat & solius rationis ductum sequitur, tales argumentationes, tanquam parum aut nihil probantes, rejicit. Notitias enim naturales insitas intellectui superadditas, qua tales, nec sensu, nec ratione cognoscit, sed potius mentem nostram cum Aristotele dicit esse, *tabulam nudam*

nudam, in qua nihil inscriptum est, omnia autem inscribi possum.
l. 3. de An. c. 4. Habent alias infantes exactissimam sapien-
tiam & sentirent homines se cognoscere. Unde & illud pro-
gnatum: nihil est in intellectu, quod non ante fuerit in sensu s. verè s.
analogicè, s. quod non concipiatur sub qualitate sensibili, di-
cente B. Hulfem. de Auxil. Grat. p. 207. Non male hac de re
loquitur B. Watsonius; Dari Notitias quasdam Primorum Princ-
piorum, adeoque & Dei, nobis propriè congenitas, qua à primo nati-
vitatis momento adu omnibus hominibus insint, non est scientiæ,
sed fidei statuere. Disp. de subst. Immob. §. 17. Atque hinc
est, quod ipsi Theologi Argumentum à Conscientiæ accusa-
tionibus & excusationibus desumptum, non satis firmum,
agnoscant ad convincendum Atheum. Omnium in-
star sufficiat in præsens Jac. Martini lib. de Princ. Fid. p. 597. ita
inquiens. Hac ratio ad persuadendum utilissima est, si tamen fir-
mioribus & exactioribus medijs non stabilitur, certi nihil concludit.
Particularis enim est, siquidem non Deum duntaxat, sed quamlibet
vim superiorem & fortiozem timemus, imò ipsum Diabolum formida-
mus, cui Indi supplicarunt, ne à Deo Jussus ipsis noceret. 2. à Præ-
supposita Creatione. Creationem mundi ex Natura sibi relicto
luminæ non esse apodicticè cognoscibilem, aut demonstrabilem,
quvis qui vel rationes benè scrutatur, vel legitimè perpendit
quæ hac de re pluribus disputat Philosophus l. 1. de cælo c. 3. l. 4.
& 8. Phys. l. 2. de Ort. & Corrupt. facile concedet. Quæ de causa
etiam non postremi Theologorum & Philosophorum in hanc
sententiam eunt. vid. Lutherus in Gen. c. 1. p. 14. Bald. in c. 11. Ebr.
v. 3. Kromajer. Loc. Syncret. 2. Antiith. 1. Friedlieb Medull. Theol.
de Creat. q. 1. p. 190. Slecker Disp. Rostoch. 1618. hab. Probl. 4. th. 3.
& alii. Præsupponunt tamen Scholastici Creationem, & tum
variè argumentantur, & plurima persuadent, in quorum no-
titiam alias Philosophus, quæ talis, pervenire nequit. Adduci
possunt plures argumentationes ex hoc fonte fluentes. Sic
Deum esse probant suarez, Mendoza & alii; Datur Ens factum
vel creatum, vel finitum. E datur etiam Ens increatum, infi-
nitum, quod est Deus. Et omniscientiam Dei, tam ratione

eorum, quæ actu sunt, quam quæ possibilia *Burgersdicius Instit.*
Met. l. 2. c. 8. th. 8. quia Deus illorum Autor est, hæc verò in Es-
sentia Dei continentur vel formaliter vel eminenter, à qua
producenda. Et omnipræsentiam divinam *M. Hundeshagett*
Disp. de Omnipræ. Cell. 2. §. 8. h. m. à quo res omnes sunt pro-
ductæ ille est ubiq; quia ille etiam ubicationes fecit. Et Pro-
videntiam *Hornejus P. 1. Disp. 5. Sect. 4. p. 644.* sequenti argu-
mentatione. Si Deus omnia fecit & facit propter finem, om-
nia quoque ad finem ordinat. Plures ex hoc argumentan-
di genere desumptæ rationes passim inveniuntur non nisi pro-
babiles. 3. ab *Attributis divinis ex scriptura haustis.* Hic latus sese
iterum argumenta inveniendi campus Scholasticis aperit. Co-
nantur autem inde stabilire *partim Dei Existentiam*, qua ratione
solent inferre: Datur Ent increatum, vel verbis *Thomæ*: Ens à
se, aut dicente *Scoto*: Ens independens E. Deus. quanquam à se
esse, aut esse independens, magis obscurum sit, quam Deum
dari, nec simpliciter Contradictionem involvat in *Philos.* esse
plura ingenita & independentia, nec inde statim Deus colliga-
tur, sed vel cælum, vel stella, vel aliud quid ingenerabile. *Partim*
unum attributum ex altero concludunt, infinitatē ex independentia
& aternitate, cum *Mejero Disp. 12. Pneum.* Omnipotentiam & im-
mensitatem ex infinita perfectione, cū *Burgersdicio l. 2. Met. c. 9. th.*
12. §. c. 7. th. 1. Omnipræsentiam ex immensitate cum *M. Hun-*
deshagett Disp. cit. Hoc modo asserunt Deo, uti Enti in commu-
ni, competere principia incomplexa, quoad Analogiam, &
Causas Virtutes, cum tamen omnis causa realiter differat à suo
causato, & nihil possit esse causa sui ipsius. *Partim ex Attri-*
butis nostrum debitum erga Deum inferunt cum *D. Musæo in Intrad.*
in Theol. t. 2. th. 38. p. 90. seqq. & in *Dissert. de imm. nat. insuffi-*
cientia th. 26. ex Dei veritate fidem, ex bonitate amorem, ex o-
mnipotentia invocationem & fiduciam, ex justitia Timorem,
ex bonitate gratiarum actionem &c. conf. *Mejer. Disp. 16.*
Pneum. *Partim opera divina inde colligunt*, quemadmodum sub
Præsidio Du. D. Franci Clausen Disp. de asheo Conv. l. c. 2. Provi-
dentiam divinam statuminat, eo quod Deus bonus, cum boni-
tas

tas non patiatur ut Creaturas negligat, & sanctus, quod præscribendo sancte pieq; vivendi regulas manifestum reddit. Sic ut animæ nostræ evincant immortalitatem, adducunt iustitiam divinam, vi cuius virtuosus præmium debetur, sceleratis pœna, quod cum in hac vita non contingat, hinc remanere animam post discessum à corpore necesse est. De quo argumento tamen *Augustinus l. 2. de Vir. Bear.* dicit, virtuositati conferri suum præmium etiam in hac vita per conscientie tranquillitatem, virtutis pedissequam, quemadmodum è contra facinorosi etiam hic accipiant sua supplicia per vermem conscientie, contemptum & ignominiam publicam, aliasq; impietatis pœnas. Sic & *Dn. D. Calovius* docet vitam æternam aliquo tantum pacto cognosci & persuaderi quoadentenus posse *T. 12. syst. Art. 7. c. 1. q. 2 p. 297.* Inter alia à divina iustitia, bonitate, æternitate. Similia habet *B. Jac. Martini Partit Theol. Diss. 39. th. 15. seqq.* de Resurrectione mortuorum. 4. à *Potentia Dei absoluta in specie.* Hoc fere semper crepant Scholastici; Non repugnat, possibile est, non involvit contradictionem, non implicat, inde firmissimam rationem duci posse autumant. Eundem argumentandi modum adhibet *Thomas in 1. D. 1. q. 44. Art. 1.* & Commentatores ejus in asserenda Creationis possibilitate, quia nullam dicit Contradictionem. Nec ab eo abhorret *Suarez. Diss. 35. sect. 1. n. 5.* quem sequuntur *Scheibl. l. 4. Met. c. 4. Tit. 1. Art. 1. n. 5. p. 379; Jac. Martini l. 2. part. Met. Sect. 6. q. 1. p. 841.* quando Angelorum Existentiam confirmat inde, quia sunt possibles. Sed præterquam quod à posse ad esse nulla valeat consequentia, homini sibi relicto plura impossibilia, & contradictoria videntur, quæ tamen in se talia non sunt. vid. *Hulsem. in Vindic. script. Arisc. 5. § 15.* & *Dn. D. Scherzer. Præfat. in hunc librum,* ubi docent Deum posse contradictoria materialiter & formaliter, scil. rationi cœcæ. Bene *B. Balhb. Meisnerus Diss. 4. Colleg. Priv. th. 2.* Implicationem Contradictionis in potentia Dei, non ex hominum cerebro & conceptibus, dubiisve conjecturis, sed ex verbi divini sententia æstimandam esse, pronunciat. Qui igitur omnipotentiam Dei, & Deum hoc

vel illud facere velle, ex verbo credit, probabiliter postea hæc
ratione argumentari potest aduersus non negantem, sed re-
uerenter habentem scripturam, in eaqve ab infantia informa-
tum, extra statum tentationis positum. 5. à *Conceptibus commu-
nibus*. Notissima est Scholasticorum doctrina de Abstrac-
tione, (licet à Philosopho non nisi in Mathematicis concedatur
l. 1. Phys. c. 2. l. 1. de An. c. 1. nec tamen probanda sententia *Joh.
Baptist. du Hamel l. 1. de Ment. Hum. c. 7. n. 12 p. 285. seq.* nomine
abstractionis Physicæ omnia universalia rejicientis) quam
etiam terminis applicant. Hinc tot conceptus communes
vocalorum, tot formales rationes, transcendentes signifi-
catus, ampliaciones, liberationes terminorum ab impuritate
& imperfectione, quæ tamen nulla vocibus inest, ut sic nec pur-
gationibus opus habeant, & ejus farinae alia. Vident equi-
dem multa tradi in Theologia, quæ Philosophicis cancellis in-
cludi nequeant, ut ergo & illa suo subjiciantur dominio, si-
gnificationes terminorum in Philosophia usitatorum pro lu-
bitu, citra necessitatem & utilitatem ita extendunt, ut res di-
vinæ iis includi possint, & ejusmodi fictitiæ abstractionem
tam pro genuino vocabuli sensu, vel uti loquuntur, formali
ratione, reliquæ enim significationes materiales tantum sunt,
venditant, imo has, ut vocant, Ampliaciones ita necessarias
pronunciant, ut sine eis nemo verè philosophari possit. vid.
Scharff. de optimo Philos. genere Dissert. annex. Met. Exempl. Ex hac
causa tales constituunt Regulas: *Natura terminorum non est ju-
dicanda ex conditione Creaturarum, sed ex conditione universali. Kes-
ler Log. Phot. Tr. Præim sect. Post. M. 4. c. 1.*: *Datis novis rebus
Logicus novas instituere potest rerum considerationes, & noëmata no-
va fabricare vel reductionibus uti. Jac. Mart. l. 2. Inst. Log. c. 1.*
Quando itaque hujus generis conceptus ex supposita scriptu-
ræ doctrina proposuerunt, tum iisdem conceptibus Philoso-
phicè divina se probare, qui conceptus tamen his superstru-
untur, quidam autumant. Interim tamen iisdem fortè lar-
giri poterimus esse quasdam argumentationes probabiles scri-
pturam præsupponentes, quæ Christiano scripturæ fidem ha-
benti

benti ad persuadendum plausibiles videri possint, Philosophicamen esse demonstrationes nemo facile sibi persuasum habebit. Ut ejus rei Exemplum addam, Veritatem, quam primario conceptus, dein etiam orationis conformitatem esse docet *Arist. l. 6. Met. c. ult. & Bonitatem* quæ operationes substantiæ mobilis discriminat *l. 13. (11) Met. c. 3.* faciunt transcendentalem quæ sit ipsius Essentiæ, & omnis Entis Attributum unitum, & cum alicui conformes esse debeant, huic conformitatem cum voluntate, illi cum intellectu divino assignant, quoniam omne Ens est à Deo. His ita constitutis, Deum esse & quidem uti putat à priori concludit *Paulus Voëtius §. 2. c. 3. Theol. Nat. Ref.* sequenti ratione. Cum verum & Bonum transcendentale ad intellectum & voluntatem suæ Causæ intelligentis referantur, necesse est, dari primam aliquam causam intellectu & voluntate præditam, à qua omnis veritas & bonitas oriatur. *Mejerus* quoque præsupposita unius formalis ratione, quod sit indivisum esse, inde unitatem Dei infert *Disp. 11. Pnev. Exeg. ad Præc. 1.* Sed nimis longum foret singula argumenta adducere, cum ubivis ferè sint obvia. *Huc etiam referenda quædam effata, quæ usurpari solent.* Omne Ens est finitum vel infinitum, Creatum vel increatum, à se vel ab alio &c. unde argumenta neçunt. 6. à *Consensu Gentilium.* Si Rationes deficiunt Autoritate defectum resarcire gestiunt, quapropter ingentia volumina adductis Gentilium Testimoniis implent, quemadmodum videre est in illis, qui de veritate Religionis Christianæ scripserunt. Non desunt eque plurimà Philosophorum, imprimis quos saniores vocant, Gentilium dicta, aliqua de Deo edifferentia, quæ maximam cum revelato verbo cognationem habent, conf. *Ritteri Maul und Henchel Christen* in quo integro libro tum veterum, tum moderorum Ethnicorum testimonia adducit. *Unde autem ea hausierint quaritur?* Dicendum quod ante de Platone ostensum illos plurima ex Relatione & Conversatione eum Judæis, Egyptiis, Chaldæis, hausisse, nec desunt gravissimi Autores idem confirmantes. Ut unum vel alterum ad ducam. Nunc quod Græci sapientia & do-

& doctrina præditi, verba sunt *Diodori l. 1. Hist. c. ult. in Ægyptum* præscis temporibus transierint, ut leges & doctrinam illorum perciperent, videbimus. Scribunt eorum sacerdotes in sacris contineri libris, transisse primum ad Ægyptios *Orpheum, Musæum, Melampodem, Dædalum, Homerum, & Spartanum Lycurgum, deinde Solonem Atheniensem, Platonem Philosophum, & Samium Pythagoram, Eudoxum quoque Mathematicum, & Democritum Abderite & Inopidem Chium.* Omnium vero monstrantur vestigia, quorundam imagines, non nullorum loca, tum ab eis, tum à doctrina quam secuti sunt, denominata. In Ægypto certè perceperunt omnia, quæ illos apud Græcos admirabiles fecerunt. *Cyrillus Alex. 1. cont. Julian.* Hinc est quod *Pythagoras, Thales, Solon & alii* præ aliis sapientiores habiti sint, quia in Ægypto fuerunt. *Origenes l. 4. contr. Celsum, Numenius Pythagoreus* plerisque de rebus longe melius quam Plato disseruit, & suis in libris sæpe Mosis gesta narravit, & Prophetarum dicta non sine verisimilitudine interpretatus est, ut in Epopi opere, & libris aliis quos de nummis & loco composuit, lib. autem tertio de Bono, quæ gessit Jesus in partem exponit, etsi Jesu nomen non exprimat, & sub figura quæ fecit explanet. *De septem Græcæ sapientibus* recenset ex *Eusebio, Diogene Laërtio, Pausania & aliis Cluverus l. 2. Hist. univ. p. 60.* quod omnes *Daniele Juniores* fuerint, sed ita ut videre ipsum & alloqui potuerint. vid. *Mutius Panfa de Consul. Ethn. & Christ. Phil. & Tob. Pfannerus de Theol. Gentili. De Sybillis* acquiesco in judicio *Dn. D. Ostandi Theol. Acroam. Exerc. 14. th. 32.* quod partim secundum quosdam liquido demonstrari nequeant tales ut quidem describuntur extitisse, partim si admittantur non tantum fuisse in rerum natura, sed & vaticinatas esse, de Messia tamen oracula edidisse non sit evidens: partim quod illa vaticinia quæ circumferuntur græcè & latine edita, & in manibus nostris versantur, manifestè sint supposititia, utpote longe illustriora Prophetarum divinitus inspiratorum prædictionibus, & longe post adventum Domini conscripta. Cui concordat *Dn. D. Calovius*, nisi quod concedat illas quædam vaticinatas esse de Christo, cum similia
apud

apud Ethnicos scriptores etiam ante natum Christum inveniantur, quod fieri potuisse autumat vel ex traditione majorum, vel ex conversatione cum Hebraeis, vel ex lectione scripturæ, vel etiam ex instinctu Damonis, aut extraordinario afflatu divino. De iis tamen vaticiniis quæ nimis perspicua sunt, idcirco longè vero similis esse talia ex historica Evangelistarum relatione carminibus inclusa, quam ante Christum natum à foeminis Gentilibus prædicta fuisse T. I. *ssst.* p. 444. *seqq.*

9. Unica adhuc difficultas restat excutienda, nimirum ad quam viam recensitarum Cartesianæ argumentationes referenda? Ad Physicam viam reduci nequeunt, cū non demonstrativè incedant, sed Creationem & alia ex scriptura aperte præsupponant: Sed nec ad Metaphysicam spectant, præter scripturam enim & falso fundamento superstruuntur, ad illos igitur pertinebunt qui ex falsis & obscuris argumentantur. Adducam ipsa Cartesii verba, quandoquidem ex ipso fonte dulcius bibantur aquæ, quæ leguntur P. I. *Princ. Phil. n. 18.* & ita se habent. Quia DEI. Entis summi ideam habemus in nobis, jure possumus examinare, à quam causa illam habeamus, tantamq; in ea immensitatem inveniemus, ut plane ex eo simus certi, non posse illam nobis fuisse iudicam, nisi à re in qua sit revera omnium perfectionum Complementum h. e. nisi à DEO realiter existente. Similia proponunt Heereboord l. 2. *Pnevm. c. 1. ad theor. 3. & 4. Schuler. l. 2. Exerc. 3. p. 127. Ant. le Grand Princ. Phil. Part. 2. Art. 2. Burmannus Synops. l. 1. c. 14. §. 10.* Quis verò non facile advertit ideam illam tanquam certam præsupponi, quæ tamen probanda erat. Idea Cartesio est conceptus (non ut communiter à Philosophis usurpatur Causa Exemplaris) sed non nudus, dantur enim duo in conceptu (ex mente Cartesii) esse formale seu proprium ideæ & objectivum seu vicarium. *conf. P. 1. Princ. n. 17. & Medit. 3. de Phil. Prim. p. 18. Clauberg. Tr. de Cognit. Dei & nostri Exerc. 7.* Illud est actus cognitionis, hoc vocat rem cogitatam, quæ habet esse quoddam in intellectu. *Differi. de Meth. in Not. Marg. p. 22.* eam innatam esse hominibus dicit, & cognitione priorem, imò aliquid importare reale, tum ab objecto exter-

C

no, tum

no, tum ab actu cognoscendi distinctum. Vix mentem suam explicare potest, multo minus aliquid probat, aut potest probare, præterquam quod sæpius repetat, esse objective in intellectu nihil aliud esse, quam eo modo esse in intellectu, quo objecta in eo esse solent. Probet ergo Ideam suam Cartesius, postea respondemus etiam falsum esse hoc postulatum, quo supponit omnes perfectiones ideæ realiter debere esse in eo, à quo est idea, sufficit enim ut in eo contineatur, præprimis si remotum sit & collectioni intellectuali ansam præbeat, virtualiter & potentia, ut signatum in signo, quomodo peritia artificis ex opere affabre constructo colligitur. Alterum Argumentum, quod h. m. proponit: *Quod clarè & distinctè intelligimus pertinere ad alicujus rei veram & immutabilem naturam seu essentiam seu formam, id potest ea de re cum veritate affirmari. Sed postquam satis accuratè investigavimus quid sit Deus, clarè & distinctè intelligimus ad ejus veram & immutabilem naturam pertinere ut existat. Et cum cum veritate possumus affirmare, quod existat: uti invenitur in Resp. ad Prim. Obj. p. 70. conf. Anton le Grand l. c. non diversum esse videtur à priori, nisi quod verbis tantum differat, ita enim clarè & distinctè intelligere explicat le Grand P. 1. Art. 2. Princ. cum mens se solam ad seipsam convertit, attendendo ad solam ideam quæ ipsi inest, & distinguit ab eo, quod clarè & distinctè imaginamur, quando applicamus facultatem cognoscitivam ad corpus ut intime præsens. Alias novimus multa intelligi posse ad veram alicujus rei essentiam pertinere, quæ tamen non possunt cum veritate de ea affirmari. Quid, si Deum alterum, hominem futurum &c. clarè & distinctè cognosceremus, intelligeremus etiam ad eorum naturam veram & immutabilem pertinere ut existant, num inde quod verè existant cum veritate affirmari posset? Tertium demum Argumentum Cartesii reliquæ melius est, & ad Metaphysicam viam aliquatenus reduci posset, vid. *Met. 5. p. 33. Quod Schuler. l. 2. Ex. Phil. 3. p. 321. sic effert: Quo perfectius Ens nõ est, nec cogitari potest, illud etiã actu existit. Atqui perfectius ens Deo nõ est, nec excogitari potest. Ergo Deus etiã actu existit. Idè quod Vasquez jã ante usurpavit;**

DEUS

DEUS est Ens quo melius excogitari non potest: sed id quo melius excogitari non potest, non est in sola cogitatione. E. DEUS est in rerum natura. Cavendum tamen ne de Ente perfectissimo ratione nostri conceptus tantum intelligatur, sic enim figmentum erit, sed ex parte rei; & sic eadem ratio Metaphysica est, quam aliter solent efferre; Datur Ens perfectissimum E. DEUS.

10. Certissimè contra ex *Hyperphysico Principio* inferitur. Etenim hoc sine exceptione verissimum est quod clare docet scriptura S. s. expressè, seuper evidentem consequentiam, dicente D. *Mauritio Exerc. Log. 10. §. 5.*

11. Si effectus porro attendamus, ex illis quoque diversitas viae *Physicæ, Metaphysicæ & Hyperphysicæ* constabit. Hæc producit fidem divinam, illa opinionem, ista scientiam. Quomodo scientia, & opinio inter se distinguatur, distinguntur autem dupliciter *L. I. Post. Anal. c. 3.* tum subjecto, quia scientia est rerum universalium & procedit per necessarias propositiones; opinio verò, tam universalium, quam singularium, progreditur per propositiones non necessarias; tum πρόσω ὀπλήψεως, nam qui scientiam habet, is liquido modo h. e. immutabiliter scit, & est ἀμετάνοτος, qui verò opinatur, is nubilo modo h. e. variabiliter & mutabiliter novit, estq; ἐπεκρίνητος: Ita via *Physica* à *Metaphysica* distat. *Scientia* est cognitio rei per causam propter quam res est *L. I. Post. c. 2.* Utigitur doctrinae de *Existentiâ & Attributis* quibusdam *Dei* exacta atque demonstrativa habeatur cognitio & scientia efficit, *Via Physica* ex ratione sibi relicta. *Opinio* ex adverso est assensus inevidens seu obscurus, incertus & inconstans rei quæ aliter se habere potest, vel secundùm Scholasticos, est assensus conjunctus cum formidine oppositi; dicitur alias fides humana vel certitudo moralis. Quando itaq; præviâ, sed derelictâ scripturâ, ratio illuminata quædam probabiliter suadet, ex consequenti illustrat (unde & rationes sequentes & verisimiles à B. Gerhardo vocari solent, & ad illustrandum adhibentur. conf. *Diss. Isag. de Attributis Div. & Loe. Com. p. 246. 1058. &c.*) & sic fidem humanam generat,

generat, *Metaphysicæ* id Viæ tribuendum est. Datur præterea alia adhuc certitudo eaq; infallibilis, *fides divina*. quæ omnia in verbo Dei revelata propter Testimonium ac auctoritatem divinam pro verisimilibus habet, conscientias convincit, obsignat & de iis dubitare non admittit fidelem. Hæc q; oritur ex Revelatione verbi Divini, per Prophetas & Apostolos instinctu Sp. S. facta, quæ constituit *Viam Hyperphysicam*.

11. Jubet instituti ratio & pagellarum angustia, ut filum abrupam, aliis commodiori occasione reservatis, (quorum aliquam mentionem jam feci in *Disp. de Archeologia Remedio Præfide Magnif. Dn. D. Varenio Patrono Venerando Ann. 1679. habita & in Privato Collegio Metaphysico*) placet interim dicta uno aut altero Testimonio confirmare. Ex Theologis adduco B. Hulsemann. in *Prælect. ad Brev. c. 3. th. 13. S. 1152.* Distinguenda sunt principia Essendi à Principiis cognoscendi. Et hæc iterum dispendia in naturalia & revelata. Distinguendus quoque est modus infallibiliter & fide divina, à modo cognoscendi probabiliter. conf. de Auxil. Grat. p. 206. Et Dn. D. Joh. Meisner. *Disp. 2. de Artic. Fid. th. 6. Possè non tantum diversa objecta, sed etiam unum idemq; ex diversis Principiis deduci & probari, atque adeo diverso etiam modo percipi & distincta fide credi, vel ex Dei unitate constar.* Si enim Philosophus quispiam, Mercurius Trismegistus, Pythagoras, Empedocles, Aristoteles, Deum esse unum dicunt, aut ex natura & rationibus Philosophicis adstruunt, non alia inde fides nisi humana, quæ Testimonio credit, aut certè scientia, quæ Causam rei indagat, inde oritur. Si vero idem Objectum scripturæ divinitus probatur Deut. 4. tum fide divina creditur, quia non homines certis rationibus subnixi, sed Deus id docet, cui etiam sine rationibus testificanti fides habenda. Quod attinet Philosophos, eosq; Gentiles, nam illorum præcipue habenda est ratio, eminenti inter illos Plato & Aristoteles, quorum sententia indaganda. Plato equidem testatur, non omnia quæ ad sufficientem divinorum cognitionem faciunt, naturæ lumen suppeditare, hinc de rebus agens abstrusioribus in *Timæo* ait: *Quod revera ita sit, tum demum asseremus, si divinum aliquod oraculum id confirmarit.* Et in *Epinomide* de cultu Dei disserens:

rens: Non potest humana Natura certi quicquam de his cognoscere. Quibus addi licet illud in Gorgia de poenis apud inferos: Hæc sunt, quæ mihi auditu solo percepta, credo equidem verissima esse. Unde & inter ἀνθρώπων ἔργων λόγους distinguit in Phædone: In quo se consentientem præbet Aristoteles l. 1. de Cæl. c. 3. & l. 2. c. 5. ubi inquit: Videndum est quo pacto se quid habeat, utrum humano more; ἀνθρώπων, an validius παρά τῶν. Tribuit Aristoteli Zeidlerus, quod cum animadvertit pauca de Deo demonstrari posse, aliunde defectum splendendum esse censuerit, & quidem sine dubio ex divina Revelatione. Quam sententiam in medio relinquyo, unum tamen aut alterum locum Aristotelis adducere fortè non incommodum erit. l. 1. Eth. c. 10. de felicitate ita scribit: *si quod donum est hominibus à Deo datum, rationi consentaneum est, felicitatem esse θεοσδοτόν, verum id deternere fortè alterius est οὐκ ἐφῆως.* Ubi probabile esse putat Zeidlerus, eum intelligere aliam de DEO & rebus divinis scientiam quæ superiori aliquo nitatur Principio, quam Theologia Naturalis, quæ est ipsa Theologia revelata nixa lumine Revelationis, quoniam si fortè eum de sapientia prima loqui aliquis putaret, ibi nihil hac de re egit, nec ex sola ratione agere potuit. l. 3. Met. c. 4. scribit; Hesiodum, aliosque Theologos *supra vires nostras dixisse, h. e. talia protulisse quæ naturaliter cognoscere non valeremus.* l. 2. Met. c. 8. inter alia dicit, *tradita quadam esse à Majoribus admodum antiquis, quæ in istam usque diem sunt reservata & minimè improbanda.* Hæc & plura legi possunt in Dn. D. Zeidl. *Introd. in lect. Arist.*

p. 342 seqq. Ego his hinc ea lectoris Judicio committens.

SOLI DEO GLORIA.



DEUS est Ens quo melius excogitatus excogitari non potest, non est in rerum natura. Cavendum primo ratione nostri conceptus tantum signum erit, sed ex parte rei; & cetera est, quam aliter solent esse ferre E, DEUS.

10. Certissime contra existur. Etenim hoc sine exceptione docet scriptura S. f. expressè, seu per dicente D. Maurizio Exerc. Log. 10. §. 3.

11. Si effectus porro attendamus Physicæ, Metaphysicæ & Hyperphysicæ fidem divinam, illa opinio, ista scientia, & opinio inter se distinguitur dupliciter l. 1. Post. Anal. c. 3. tum rum universalium & procedit per opinio verò, tam universalium, quatur per propositiones non necessarum qui scientiam habet, is liquidoscit, & est ἀμείωτος, qui verò o. e. variabiliter & mutabiliter movit, Physicæ à Metaphysicæ distat. Si causam propter quam res est l. 1. Po. Existencia & Attributis quibusdam arativa habeatur cognitio & scientie sibi relicta. Opinio ex adverso est scurus, incertus & inconstans rei vel secundum Scholasticos, est assensu dine oppositi; dicitur alias fides huilis. Quando itaq; præviâ, sed de minata quædam probabiliter suade (unde & rationes sequentes & verifolent, & ad illustrandum adhibentibus Div. & Loc. Com. p. 246. 1058. & C

sed id quo me
ione. E. DE.
Ente perfectis
atur, sic enim
io Metaphysi
perfectissimum

principio infer
est quod clare
consequentiam,

te diversitas via
Hæc producit
emadmodum
untur autem
scientia est re
propositiones
m, progressi
ω ὑπόληψως,
mmutabiliter
bilo modo h.

⊙: Ita via
nitio rei per
r doctrina de
tque demon
ysica ex ratio
idens seu ob
habere potest,
cum formi
titudo mora
râ, ratio illu
enti illustrat
barbo vocari
Isag. de Attri
m humanam
general,

